

Reduc deinceps præseruatam longitudinem ad unam denominationem. Reduc etiam superationem præfatam ad denominationem eandem, in qua iacet ipsa longitudo. Quo facto, longitudinem diuide per superationem si potes, & in quotiente uenient dies. Et si aliquid remanserit de diuidendo, illud multiplica per 24, & productum diuide per id quod prius, & in quotiente exhibunt horæ. Relictum uero si aliquid remanserit, per 60 multiplicetur, diuidaturq; productum per id quod prius, & habebis in quotiente minuta, & sic procedas ultra quo usq; placuerit. Quo expedito, tempus ex diuisione emersum adde tempori ad quod planetas tuos æquasti, si tardior præcedit uelociorem, tunc etenim coniunctio eorum futura est, aut subtrahere à prædicto tempore, si uelocior planeta antecedit tardiorem, quia tali casu, coniunctio uera præterita est, & quod post additionem colligitur, aut facta subtractione relinquatur, erit tempus ueræ coniunctionis. Et operatio hæc locum habet, cum ambo planetæ uel simul fuerint retrogradi, aut simul directi. In retrogradatione tamen intellige eum præcedere, qui minus habet in signis grad. & minu. Si uero unus eorum fuerit directus, & alter retrogradatione molestus, alter erit modus operandi. Cum ergo inueneris unum directum & alterum retrogradum, tunc quære motum directi in uno die, similiter inueni motum retrogradi unius diei post tempus primæ æquationis. Quibus habitis, iunge illos duos motus ad inuicem, & per hoc aggregatum diuide habitam longitudinem, ut prius. Et animaduerte, si locus planetæ retrogradi fuerit minor loco planetæ directi, quod si sic, coniunctionem iam præcessisse significat: quare tempus per diuisionem repertum ut uisum est, subtrahendum erit de tempore ad quod uera planetarum loca computasti. Si autem planeta retrogradus fuerit plus in gradibus & minutis, quàm directus, tunc coniunctionem futuram esse indicat, igitur in hoc casu tempus ex diuisione, ut supra, compertum, addi debet tempori ad quod planetas æquasti, & quod hoc pacto uel addendo componatur, uel abijciendo residuatur, erit tempus ueræ coniunctionis. Si autem uolueris multum præcise tempus scire ueræ coniunctionis duorum planetarum, inquiras eorundem ueros motus ad tempus hoc modo repertum, qui si iacuerint in eodem loco, habes quod quærebas. Si non, tunc distantiam ipsorum addiscas, subtrahendo uidelicet minorem de maiore, & scias cuiuslibet eorum motum horarium, qui aliud non est, nisi uigesima quarta pars motus diei naturalis tui planetæ, & superationem inuenias subtractiue scilicet, dum ambo fuerint directi aut retrogradi. Coniunctiue uero, si unus ex eis directus & alter retrogradus fuerint deprehensi, in tali namq; dispositione, eorum motus horarij in simul addantur, & quod sic conflatur residuaturæ, diuisor longitudinis constituatur præfata, & in quotiente resiliunt horæ. Et si quid remanserit per 60 resoluas, & productum diuide per id quod prius, & proueniunt minuta &c. Tempus autem si exortum adde priori, si coniunctio futura est, uel de eodem remoueas, si de facto præterijt, & quod post additionem colligitur, uel post ablationem residuatur, erit tempus ueræ coniunctionis, quod quærebat exacte. Consimilis fiet operatio in aspectibus eorum, ut in oppositiõnibus sit distantia eorum per 6 signa, in sextili per 2, in quadrato per 3, in trino per 4 signa.

De coniunctionibus & oppositionibus ueris luminarium.

Propositio XXIII.

Tempus